

www.e-rara.ch

Ioan. Iacobi Boissarti Vesuntini Poemata

Boissard, Jean Jacques

Basileae, 1574

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-643>

Ioannis Iacobi Boissarti Vesuntini epistolarum liber I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

IO. IAC. BOISSARTI

*Quamuis (his pietas namq; hodierna valet)
Agnosces portenta hominum: quos si bene noris,
Est tibi qui Fabius, cercopithecus erit.
Sic tragico quoties spectacula facta theatro
Personæ ex variis vestibus esse solent.
Cernis ut è vili fiat cerdone Tribunus:
Cernis & ut sartor regia sceptrata gerat.
At si de Tyrio radiantem murice pallam,
Sceptraq; si tollas regia, sartor erit.*

IOANNIS IACOB
BOISSARTI VESVNTINI E-
PISTOLARVM LI-
BER I.

Ad Ioan. Pleierum: I. V. Doctorem, Illu-
stris. Principis Marchionis Bran-
deburgici consiliarium.

Ioanni Pleiero Salisburgensi.



*Ltera Burgūdis estas me vidit in oris,
Et solui patriis debita vota Deis.
Ex quo Romul: dū seiuncti liquimus
arces, (mus.
Et Capitoline culmina sacra do
Hic*

Hic ubi tu primos inter dilecte sodales,

Firmaſti certa, pignora nota fide.

Verba per amplexus cum ſunt repetita frequentes:

O deſiderio deſtituende meo!

Iam nos ſeptenis amor integer arſerat annis,

Et fuerant vna ſaucia corda face:

Cum Boias olim iuncti luſtrauimus vrbes,

Qua ruit vndofi flaua procella Lycie

Et qua ſunt celebres Pegneſia flumina lympha,

Noricaq; aurato turget amica lare.

Herboſam gelidi prope ripam viximus Iſtri,

Qui noſtram primùm fanxit amicitiam.

Adriaci nos vnde lacus repetuimus vrbes,

Et qua ſunt medio moenia ſtructa mari.

Cumq; Deus melior dulcesq; ante omnia Muſa

Euganeis eſſent montibus aſſidue,

Prætulimus Pataui Venetorum fluctibus hortos,

Et qua Medoacum prædia vringq; premunt.

Atq; alium nobis iam bruma peregerat annum,

Et Zephiri terris prima alimenta dabant.

Cum deſiderium Romæ ſubiſſe videnda

Senſimus, & factum te comitante fuit.

Vidi ego tum primùm lati miracula mundi,

Exaquanda ſimul tot monumenta polo.

Quid referam vaſtos imitantes moenia circos?

Quid ſexcentenis atria porticibus?

Aut quid multiplices thermarum perſequar orbes?

Quid tot millenis amphitheatra foris?

Et quid Niliaci dicam ſignata obeliſcis

Thebaica quondam ſaxa reuulſa petra?

Quidue

IO. IAC. BOISSARTI

Quidue triumphales arcus? quid pontibus altis
 Frenatas Tyberis, quidue Anienis aquas?
 Dedalium quid opus saxorum, altosq; Colossos,
 Marmora quæ Paria nata feruntur humo?
 Quæ postquam ingenio signasti cuncta sagaci,
 Visaq; sunt oculis illa sat esse tuis:
 Tyrrenum petimus ventis vrgentibus æquor,
 Quæ Tyberim salsis Ostia miscet aquis.
 Liquimus ad læuam munitæ Valla Velitræ,
 Et Sarmoneti mœnia culta soli.
 Rurâq; Priuerni patuerunt ardua Volsci,
 Vnde olim Metabo nata Camilla patre.
 Missus & à tergo vitreis Amasenus in vndis,
 Quæq; Asturanas implet arena vias.
 Et scopulis tollens nitidum caput Anxur in albis,
 Paruus, at irriguis nobilis Anxur aquis.
 Vidimus Aëæ celebrata cacumina Circes,
 Et iuga speluncis prodigiosa cauis.
 Hinc Caietanas rupes, pendentiaq; altè
 Littora, & vndanti mœnia pulsa salo.
 Antiphatisq; domum, & seuis Læstrigonas ausis,
 Et Lacedemonio tecta habitata Lamo.
 Vidimus & tumidum fluctu saliente Sagonam,
 Et quas Vulturni concutit amnis aquas.
 Vnde feris pelagi nos tempestatibus actos
 Accipit æræus Vschia tuta iugis.
 Euboicas petimus Cumas, atq; antra Sibyllæ,
 Quæ lacus obscuris horret auernus aquis.
 Et delubra Deum crebris miseranda ruinis:
 Et nunc culta vrgis templa superba feris.

Hinc

Hinc per Baianas ducentes vela procellas,
 Sulphureis quàm mons ignibus astra petit,
 Parthenopem intramus fessi, tutoq; potimur
 Hospitio, & positis soluimus ora cibis.
 Tunc licuit structas lustrare ex marmore sedes,
 Quæq; Arragoniæ sunt monumenta domus.
 Ossaq; Pontani conspergere floribus, & quos
 Vergilij cineres fictilis vrna tegit.
 Proximus Aoniæ seruat loca Mergilines
 Actius, & spumis æquora tecta videt.
 Vnde Vesuvinum ructare incendia montem
 Aspicit, & rutilus ignibus antra teri.
 Circumquaq; virent contexti sepibus horti,
 Illimiq; madens terra salubris aqua.
 Quis fruges numerare queat, quis pinguibus aruis
 Expositas segetes, hordea, farræ, & æm?
 Viniferos colles, lauretæq; & aspera myrtis
 Culmina, & intonsa Punica dona coma?
 Quicquid ad humanos natura recondidit vsus,
 Sponte sua id passim copia diues alit.
 Laudabas, memini, riuos tellure fluentes,
 Vberiusq; sua fertilitate solum.
 Sed postquam patrj subierunt corda penates,
 Ausus es illa hortis posthabuisse tuis.
 Rura salisburgi gaudens, Oenumq; petisti,
 Et quædama frequens flumina rauca bibit.
 Cognatis tandem, fruerisq; reuersus amicis,
 Incolis & pingui tecta paterna foco.
 Forsitan & narras mensis tibi visa remotis,
 Conuiuas pensos ad tua verba trabens.

IO. IAC. BOISSARTI

Ast ego Burgunda rursus tellure receptus,
 Per varios casus tempora mœsta fero.
 Ignarus quid tu facias, Michaëlq; sodalis,
 Qui blando castam Margarin ore fouet,
 Illa virum fertur dudum fecisse parentem,
 Dicitur & bina reddita prole grauis.
 Auspiciis durent firmata cubilia faustis,
 Legitimoq; diu gaudeat illa toro.
 Et tibi (si qua tuus recubet iam molliter vlnis
 Montana pectus tincta puella niue)
Det sobolem patri caram, paruosq; nepotes:
Gaudia quæ thalamo sint sociata tuo.
 Nec tamen idcirco nostri te cura relinquat.
 Debita ne primis iura reposcat amor.
 Nuper, Dolanam Fuggeri filius urbem
 Cum peteret, de te spes mihi facta fuit.
 Dixi ego, vel dabitur Pleieri littera nostri,
 Viderit aut qua te nuncius vrbe feret.
 Sed neq; quam dederis, mihi venit epistola, nec te
 Vlla qui vidit nuncius vrbe fuit.
 Semper Amantinas arces, Perbæq; fluenta
 Incolo, quod studis sint magis apta meis.
 At tu Germana dederis quæ fortè papyro,
 Illa Quietano tradita scripta velim.

Iacobo Guaisdouio Posnaniensi.

EPISTOLA II.

Conquerar an fileã dubiũ est: querar hoc tamẽ
 Fas erit & de te quãtulacung; queri. (vñũ.
 Anne

Annè Guiafdouium queritur Boissartus amantem

Vllum alium trīstis prapōsuissē sibi?

Hoc queritur; quēstus carissus obliuia nōstrī

Dant tua, quæ lēsus vix patiatur amor.

Neccareis postquam nuper d'gressus ab oris,

Sarmatici peteres regna Polona soli,

Soluisti hinc, abiturū paucis comitantibus, atq;

Boissartum linquens, care Iacobe, tuum.

Qui tibi postremus n' αsto sermonibus israhē

Dixit, & in multo verba dolore tulit.

O mihi præcipuos inter dilectē sodales,

Officio ante omnes culte Iacobe meo,

Nunc ego te linquo, linquo tibi: pectus & hocce.

Et mea pectoribus corda dicat a tuis.

Iste dolor tibi sit testis, tibi debitus iste

Spiritus, & fidæ, quas tibi tendo, manus.

Hoc tantum supplex posco, tibi si meus ardor,

Si curæ candor, simplicitasq; fuit:

Vt tu me scriptis absens aliquando salutes:

Officium hoc summi muneris instar erit.

Verba hæc demisso capiebas tristia vultu,

Visus es & tales reddere voce sonos.

O nimium redamate mihi Boissarte, valetor.

Boissarte officio semper amate pari.

Vita mihi fuerit donec per fata superstes,

Testis amicitia est vsq; futura mea.

Iuro, Guiafdouia citius patriaq; suumq;

Quam pia Boissarti nomina, mente cadent.

Audiat hoc cælum, & qui nos auditq; videtq;

Quiq; olim iunxit pectora nostra Deus.

IO. IAC. BOISSARTI.

Nunc ego Sauromatias, boreaq; rigentia flatus.
 Regna peto, & duris sidera nota Getis:
 Ad patrias propero Posnanica moenia sedes,
 Et quæ annosa colit tecta paterna parens.
 Hoc rogo, si tibi amor placuit quoq; noster, & illa.
 Per Musas quondam conciliata fides,
 Tu fac ut absenti mentem testeris amicam,
 Et prodât notam scripta tabella manum.
 Tuq; meum obsequium nunquam cessasse quereris.
 Sedula namq; absens Musa futura mea est.
 His ego tunc dictis animum solabar, eratq;
 Maxima promissus spes mihi facta tuis.
 Tunc porrectæ vtrinq; manus, & fida vicissim.
 Pectora complexu pressa fuere novo.
 Carpentog; leui, nobis atq; vrbe relicta,
 Vectus ad Hercynium diceris esse nemus.
 Vnde per armigeros cursum tenuisse Suenos,
 Ulmensisq; viros consuluisse fori.
 Qui te Danubij fluuio vexere secundo.
 Vindelicæ longum per regionis iter.
 Cernere opes Boias licuit, munitaq; vallis
 Oppida, quæ clâro Principe crebra rigent.
 Quæq; Ingolstadij latis sunt moenia fossis,
 Moenia tuta opibus, moenia tuta situ.
 Visa tibi artifice quæ condidit atria Princeps
 Magna manu, & sumptu non leuiore tulit.
 Antiquumq; Istro minitare Ratisbona pontem
 Quæ solet, & rapidis addere fræna vadis.
 Rastaviumq; vetus, quæ confluit Oenus in Istrum,
 Et gemino fluctu Lincia rura petit.

Vnde:

Vnde ad Pannonicam dicta est tranasse Viennam

Remigio valida naus adaeta manus.

Vnde ad regalem Gracchi cognominis urbem

Venisti, vt fertur, saluus & incolumis.

Emensus longum es tractum felicibus astris:

Gratulor illa tua fausta fuisse via.

Nec queror hic quicquam peccati: tædia noui

Quanta, & qua fractus sepe viator habet.

Sed postquam patria es saluus tellure receptus,

Cognatiq; colis tecta Polona foci,

Qui sit Hyperborea niue quod tibi pectora torpēt?

Obsita Sithonio quod tibi corda gelu?

Tertia Lasicio cum detur epistola nostro,

Quid caussæ est, cur me scripta nec vlla beent?

Vnde Guaisdoui hoc? que fata minaciter istud

Sæua mihi credam conciliasse malum?

Riphaam nemo sanus damnauerit oram:

Sit licet hæc Scythico non satis apta gelu.

Constat enim hæc multis excellere dotibus, vt quæ

Floreat ingenis, & pietate pari.

Ingenuas vt quæ colat, admiretur, & ornet

Quæ nunc in sacro sunt Helicone deas.

Lasicius testis fuerit, vestri altera regni

Lampas, Pimplæ gloria prima chori.

Quæq; Lycæa Nicri complere Polonica Pubes

Cernitur, ingenis clarâ inuenta suis.

Cui culpam imposuisse nefas puto: talia diuis

Vertant, sint à me talia probra procul.

Te ne accusabo? feret hæc amor improba nunquã:

Sincera hoc prohibet crimen amicitia.

I O. I A C. B O I S S A R T I

In me igitur factum transferre parabo? nec istud.
 Hei mihi, tanta in quem facta ruina cadet?
 Nil ego commisi, culpa sum nescius: ah, te
 Post vnum nosti me quoq; amasse Deum.
 Pluris eras nobis, quam vel materq; paterq;
 Non tanti frater ponderis vnus erat.
 Vos igitur culpam fatorum ignota subite
 Numina: & in culpa tu quoq; parte veni.
 Si scriptis saltem iunxisses paucula misis
 Ad nos, illa omni crimine tersa forent.
 Ipse silut asses tantum (paruum hocce merebar
 Officium, vel te iudice, vel melius)
 Nulla mei facta est in scriptis mentio? nulla:
 Non secus ac si iam viuere desierim.
 Aut si nescieris Boissarti nomina, vel si
 Boissarti pigeat te meminisse tui.
 Sed bene succedant tibi cuncta: valere iubebo
 Aeternum, multa teq; salute frui.
 Siue domus teneas Posnanica tecla paterna,
 Adq; tuum coniux sit pia iuncta latus.
 Prole patrem faciat multa, carosq; nepotes
 Ipse queas olim connumerare senex.
 Vel si magnificam te Rex accersat in aulam:
 Sit tibi regali primus in arce locus.
 Fulgida clauatis ornet te purpura limbis,
 Gemmaq; Sarmatico pectora torque premat.
 Et tua cum Scythica populentur rura caterua,
 Tu Scythiae valido robore regna teras.
 Dux quoq; tu patriae celebri cum laude cohorti
 Praeficiare, tuo rege iubente, precor.

Gaudeat inq; tuis Gracchosia leta triumphis,
Et reducem casis hostibus esse tuis.

Captiuq; Getæ victricia signa sequantur,
Librantesq; manu spicula longa nurus.

Sic tua nobilitas crebris ornata trophæis,
Crescat in immensos accumulata dies.

Atq; his si faueant cœlestia numina votis,
Et placida capiat Iuppiter aure preces,

Hoc precor, vt tanto in successu, sepe memor sis
Boissarti, cuius pignora mentis habes.

Adeundem.

E P I S T O L A III.

Expectata diu mihi venit epistola, quæ te,
O fidum pectus, diceret incolumem.

Incolumem dixit saluumq; tibiq; mihiq;
Restare integram dixit amicitiam.

Agnoui quantum suauissime, sum tibi cordi,
Me quanti semper feceris, accipio.

Iam mihi Sauromatæ nullis torpere pruinis,
Iam mihi dicentur frigora nulla pati.

Perpetuæ quamuis habites sub sidere brumæ,
Tuq; sub Arctois montibus arua colas,

Corda tamen blando feruent ardore, tibiq;
Sunt quæ diuino pectora sole tepent.

Novit amicitiam cœlo grauiore Bootes,
Vrsa suas flammæ nunc Erymanthis habes.

Felices mundi tractus, felicia regna,

IO. IAC. BOISSARTI

Regna in hyperborea sint licet illa uiue:
 Regna meum qui iam mihi restituere iacobum,
 Qui mihi vel cara carior est anima.
 Ante mihi bis sex quem Felsina iunxerat annos,
 A Cupressiferis Felsina nota iugis.
 Et studus animos communibus auxerat, illic
 Est Phaëtontæi ripa ubi nota Padi.
 Succina populeis ubi sunt pendentia ramis,
 Concreto videas quæ riguisse gelu.
 Brenta per Euganeos quæ labitur aduena campos,
 Adriacasq; inter flumina laxat aquas.
 Et sub Medoacis iterum doctoribus alma
 Firmata est ambos inter amicitia.
 Tandem (vt contingit voluentibus omnia fatis)
 Conuenisse iterum nos voluere Dei.
 Tertia Neccaria facta est coniunctio in vrbe,
 Clara Palatini sunt ubi tecla Ducis.
 Hic rursus cepit post tempora longa renasci,
 Antiquoq; vetus iure reuixit amor.
 Assumitq; suis progressibus incrementum,
 Ad iustum donec creuit & ille modum.
 Conatum quoties vter vtrum vincere posset,
 Consilio, factis, corde, fauore, fide!
 Sed neq; me victum, nec me vicisse notasti,
 Communem palmam par dedit officium.
 Et tanquam tenero crescens sub cortice palmæ,
 Principio fructu liberiore caret:
 Sed postquam terræ surgens alimenta recepit,
 Pampineis cultam frondibus ornât humum.
 Dat vitis botros, ruisq; grauantibus vrget

Præla, rubent plenis dulcia musta cadis.
 Vinitor adstantes tum primum hortatur amicos,
 Indulti capiant gaudia læta meri.
 Fructu expectato, dulciq; labore potitur:
 Nec queritur gravidos imbribus esse dies.
 Fulgura non metuit, non mixta grandine nimbos,
 Non matutino frigora dura gelu.
 Omnia tuta videt, medio durescit in agro
 Vitis, & in iustas arboris exit opes.
Sic qui primus amor teneræ sub flore iuuentæ
Arctauit nodo pectora nostra pari:
 Principio exiguus creuit puerilibus annis,
 Perq; gradus sensim est accumulata fides.
 Paulatimq; animus nobis adlescere cœpit:
Posthabitis nucibus iam grauiora sapit.
 Et nostra inuasit summum coniunctio culmen,
Verum vt amicitie nunc dare possit opus.
 Offertur gauido diues vindemia prælo,
 Cultus amor certa messe superbus adest.
 Et quanto studiis grauioribus incubat ætas,
 Est nobis tanto firmitior ista fides.
 Iam nihil est deinceps metuendum, tu licet absis,
 Et teneas trucibus proxima regna Getis.
 Et tua præcipiti terat arua Borysthènes vnda,
 Flumen Amazonis nobile diuitiis.
 Atq; ego Burgunda viam seiunctus in ora,
 Piscosiq; colam lenta fluentia Dubis.
 Donec fata sinent cœli conuexa tueri,
Et solis nitidum cernere posse iubar:
Vnum te ante alios (testis mihi Christus) amabo:

IO. IAC. BOISSARTI

Nec poterit Studij pœnituisse mei.
 Spectatum peccatus, simili te lege precabor,
 Ut meus es, semper sic meus esse velis.
 Nec quòd te scriptus toties Stimulantibus hortor,
 Idcirco tibi sit lectio grata minus.
 Hæc tibi Boissartus repetit, suavisime, non quòd
 Immemorem officij te putet esse tui:
 Sed plerunq; iuuet primis benè gesta sub annis,
 In tabula tanquàm proposuisse breui:
 Quam videam, absentiq; fruar seiunctus amico,
 Hoc tibi cùm iungar sæpius alloquio.
Dij tua conseruent inuictæ stemmata gentis,
Accrescantq; tua nobilitata manu.

Ad eundem.

EPIST. IIII.

NOrica cùm nuper petiisset mœnia præceps
 Nuncius, huic ad te scripta gerenda dedi.
 Quæ portarentur, fieri sè posset, ad urbem
 Gracchi, aut Lublinum, quò via certa magis.
 Addideram chartis non munus inutile nostris,
 Quòd ferret: precio res erat acta dato.
 Sed postquàm sensit compactum pyxide pondus,
 Iam presso grauior sarcina, dixit, erit.
Excusavi hominem, quòd simplicitate modesta,
 Non fastu, aut dura fronte negasset opem.
 Ne tamen absq; aliquo veniat tibi liitera dono,
 Ne sine Boissarti munere scripta legas,

Aeneas

Aeneus est mihi bos, qualis Memphiticus Apis,
 Et qui Niliacus vrbibus esse solet.
 Qualis Agenoream ludentem in littore nympharum
 Qui tulit à patria trans freta salsa Tyro.
 Vel qualis lento, qui torruit igne magistrum,
 Immanis precium dum tulit ingenij.
 Hanc mihi Santonico calauit in ære figurans
 Aubryus eximia dexteritate faber.
 Campanus olim qui natus origine Træcis,
 Metensi legit nuper in vrbe domum.
 Phidiaco agnosces turgere toreumata calo,
 Vndiq; Mentorea nobilitata manu.
 Dicitur arte Myron tauros quæ fallere possent
 Finxisse artificij quattuor ære boues,
 Sed quæcumq; meum obseruauit vacca iuuentum,
 Admittet visum protinus illa virum.
 Cornua si fronti prostare minacia cernas,
 Et quæ extant rigidis aspera colla toris,
 Si geminos latis iungi palearibus armos,
 Horrida si in torua lumina fronte notes,
 Concursum credas in prælia vera minari,
 Et sæua oppositos sternere cade lupos.
 Vel petere in medio pugilis latus amphitheatro,
 Sanguineumq; leui vertere calce solum.
 Tales forsân alunt Getula mapalia tauros,
 Calcat vbi asiduus pascua sicca leo.
 Aut vbi sunt Lynces, vsiq; feri; bisuntentes,
 In Scythicis tales credimus esse casis.
 Hoc tibi transmitto munus: miraberis ipse
 Artificem, & nitidi quod tumet æris opus.

IO. IAC. BOISSARTI

Cetera discedens Stignæo sculpta relinquam,
Cui scribes mitti quò tamen illa velis.
Hoc quoq; cùm facies Læblinum scripta remitte,
Vnde mihi tutò reddier illa queant.

Iano Crotosio Palatinidi Vladis-
lauiensi Polono.

EPIST. V.

Restituit chartas mihi Lasicyq; tuasq;
Iunius, ò dõmini semper habende loco.
Incolumes ambos venisse ad Gallica lætor
Regna, & Parrhisys vos statuisse pedem.
Quò mihi si liceat properare, meoq; Vienna,
Desererem rapidi flaua fluenta Nicri.
At nos Germanis insistere cogimur oris,
Teutonico vt liceat purius ore loqui.
Cui studio intentos iam tertia sustinet aetas,
Nec solidi quicquam sedula cura refert.
Hec Heydelbergæ ratio nos detinet: vnde
Perferimus longa tædia multa mora.
Nos solis parua tantum sociamur in vrbe,
Quorum doctrina est cognita vita graui.
Prosequor hos inter studio maiore Pilessum:
Droioniiq; tui non mihi cura minor.
Suntq; Ossolinni, quorum moderatur habenas
Exculti noster Paxius ingenij.
Et si tu quæras quid nos faciamus: amabo,
Quid facerent quorum pectora mæror habet?

Commw-

Communis mortem tristes ploramus amici,
 Lagemus casi fata Guis/douy.
 Abstulit, heu, nobis illum Cythereia Cyprus,
 Dum petit intrepida Thracia castra manu.
 Quod primum incerto sparsum rumore verebar,
 Gliscentem miscens spe meliore metum.
 Sed postquam Veneta rediit Cassubius vrbe
 Cleistus, & ad boreæ regna parauit iter,
 Transiit hac verbis quem percontatus amicus
 Quid facerent pulchram castra per Oenotriã,
 Romanum Veneto se coniunxisse senatum,
 Dixit, & in Turcas arma parare truces.
 Maxima quos duri sociasset classis Iberi,
 Omnis & occiduis Gadibus orta ratis.
 Hetrusci, Liguresq; feri, fortesq; Calabri
 Quicquid & in tota cogitur Italia,
 Tyrrhenum crebris iam dudum albescere remis,
 Adriaciq; aditus vela tenere freti.
 Ionia portus Corcyre admittere classem,
 Et socium passim colligere auxilium.
 Bistonias acies ferro flammaq; minari,
 Excidium geminae funditus Hesperiae,
 Quas sequitur rigidusq; Cilix, Arabesq; Syriq;
 Quosq; Paratonio littore Syrtis alit.
 Marmaride, & Getula manus, Nomadesq; Libesq;
 Fuscaq; quot Memphis, quot Mareotis habet.
 Qui iam Minoe vastarent oppida Crete,
 Turbarentq; graui Gnosia regna manu.
 Fusaq; barbaricus Gortynia castra manipulis,
 Submississe leui deditioe caput.

IO. IAC. BOISSARTI

Addidit & captas aliquot perisse irremes,
 Idaliamq; Getas præripuisse Cyprum.
 Inde Guia/douy narrauit ab hoste peremiti
 Magnanima Venetos indoluiffe nece.
 Eius in occurfu, dixit fugere Sabæi,
 Fufus & in Syrio dux Saracenus equo.
 Vix ea fatus erat, faciem cum pallidus horror
 Corripit, & gelidum pectora frigus obit.
 Hei mihi, & hæc mortem confirmant dicta sodalis.
 Vifa fuit falfo crefcere fama prior:
 Credere nolueram nuper vulgata: dolorem
 Heu, minuet nobis nulla futura dies.
 Hic mihi perpetuus fuerit dum vita superstes
 Mæror erit: finem fola freta dabunt.
 Indulgere iuuat lacrymis, femperq; recenti
 Conducet madidos imbre rigare finus.
 Occidit ille mei quo frater amantior vllus
 Non fuit, aut poffet carior effe parens.
 O' vtinam Venetum nunquam veniffet ad urbem:
 Aut nifi pro patriis arma tuliffet agris.
 Viueret, & notis conuerfaretur amicis,
 Et coleret dulces, tecla Polona, lares.
 Nec longæua parens natum quereretur ademtum.
 Nec canum duro lederet vngue caput.
 O' vtinam tales, heros clariffime, femper
 Seruarent mundo prouida fata viros.
 Qui virtute fua patriamq; potentibus armis
 Protegerent: foret hic forte superstes adhuc.
 Occubuit, magnamq; animam cum fanguine fudit:
 Hoc voluit sacræ religionis amor.

Vnde

Vnde illi clarum surgit per secula nomen:
Hinc multo maior gloria morte venit.
Et fuit hoc superis sic visum: his legibus omnes
Nascimur, hac cunctis addita conditio.
Quenlibet ad moris fera iura venire necesse est.
Paucis pro patria sed pietate datur,
Hic Christi causam tutans pia fata subiuit:
Quis potuit causa pro meliore mori?
Novimus hac, possuntq; aliquid minuisse doloris:
Nec lugere tamen talia desinimus.
Res maior precio quoniam censetur amicus,
Cuius iacturam nil reparare potest.
Hoc in me experior: patriæ fera bella minantur,
Mandavi tumulo pectora cara patris.
Et mea languescens mater post fata mariti,
Accelerat capuli funera pulla sui.
Illa quidem durè afflixere domestica mentem,
Et mihi torserunt corda dolore gravi.
Mitescunt at amen successu temporis: ut iam
Fœdus in his visus sit pepigisse dolor.
At postquam cari mors est firmata sodalis,
Exclusa est animo non reditura quies.
Nunc ego per gemitus, & per suspiria totos
Exegi menses, tempora longa, duos.
Nec mihi promittunt finem mala nostra laborum:
Non leuior bruma est nunc peragenda mihi.
Non igitur mirum tibi sit, si tristibus instem:
Participem lucus te decet esse pui;
Quem non vrget amor cuiuslibet: ista querela est
Pro tibi dilecto suscipienda viro.

IO. IAC. BOISSARTI:

Cui tu vicina iunctus tellure fuisti,
 Sed fuit ille tibi iunctior obsequio.
 Nulla ferant igitur nostræ tibi tædia chartæ:
 Non minus ille tibi quàm mihi amicus erat.
 At tu sis felix, Princeps generose, tu aq;
 Illustres clarum nobilitate genus.
 Dÿ faciunt proavos olim virtutibus æques:
 Sisq; tuæ quondam gloria Sarmatiæ.

Iacobo Monauio patricio Vratislauiensi Silesio.

EPIST. VI.

Quid faciã, quæ ve arte rogas ego tēpora fallã,
 Aut quibus in studiis otia longa teram?
 O dilecte, mihi liceat si vera fateri,
 Assiduè versat me irrequieta quies.
 Iamdudum Musis videor torpere relictis,
 Nec mihi secessus, nec nemora alta placent.
 Nec quæ in montanis declinis collibus vnda
 Assiduas vitreis fontibus vrget aquas.
 Non canto Satyros, non pastoralia cura
 Sunt mihi, nec calamos rusticus inflat amor.
 Deliteo solus: domus est vice carceris: arclant
 Heu lacrymæ strictis pectora compedibus.
 Nec me demulcet quicumq; inuisit amicus,
 Nec consolandi proficit arte mali.
 Cur ego amem rursus cœli conuexa tueri?
 Quis mihi nunc, auras mitiget athereas?

Cum iam noster amor, mentis cum portio nostræ
 Prima Guis/douius viuere deseruit?
 Occubat: vndantemq; suo sub sanguine Cyprum
 Pulsat, & effuso sanguine signat humum.
 Ante nouem infelix Posnanica mœnia menses
 Liquerat, Hesperij captus amore soli.
 Medoari postquam placidum peruenit ad amnem,
 Est Antenoreus vrbs vbi nota vadis:
 Heu, nimium Veneti miser innotescere cœpit,
 Ingenij vt primum suscitât ausa sui.
 Flectere doctus equos, & acuta cuspide ferrum
 Vertere in oppositas arte fauente feras.
 Si certum curuo librasset acinace vulnus,
 Sub pelta vallans pectora Sarmatica,
 Persea dixisses iterum committere pugnam,
 Vt caram vinclis solueret Andromedam.
 Non illo claua melior Tyrinthus esset,
 Non sumto Aegides promptior ense foret.
 Seu volucris cursum raperet pede, siue minacis
 Exciperet stabili robore tela manus:
 Præmia suscepta meruit victricia palma:
 Primaq; propositi muneris arma tulit.
 Accessitq; istis etas integra, decorq;
 Forma q; qua primus conciliatur amor.
 Et quæ commendant homines quoscunq; probantq;
 Diuitiæ, & summæ nobilitatis honos.
 Omnia quæ postquam Veneti agnouère, tuendæ
 Suadent vt Cyprî munia suscipiat.
Ille audis pugne, nec præter prælia quicquam
Spirans, & gladios, classica signa, tubas,

Annuit: elegere ducem: committitur illi
Illyricis pubes ante coacta iugis.
Armabat classem magnam tum forte Senatus,
Arma per infestos vertere seu a Getas.
Qui mediam vasto populantes agmine Cyprum,
Cedibus & prædis omnia miscuerant.
Iamq; aderant per transtra duces, fluctusq; secabant:
Propulerat piceas aura secunda rates.
Adria iam crebro spumabat remige circum,
Teclus & armato milite pontus erat.
Cum pelago vecti tranquilla per æquora, Cypri
Contigerant duris littora pressa malis.
Intrabat crebro tum nauta celeumate portum,
Nescius hostiles non procul esse dolos.
Nox erat, & nitido radiabant sidera coelo,
Securusq; datam miles habebat humum:
Languida restaurans indultis corpora mensis,
Membraq; subtracto debilitata cibo:
Ultima cum summe restarent pocula cœna,
Atq; in multorum serperet ora sopor:
Fortè Guiaslonius tumulo speculatus ab alto
Vicinas primus comperit insidias.
O' socj capite arma citi, nos prodimur, inquit:
Lunatis properant Turcica signa notis.
Ecce improuise presso clamore phalanges
Complerunt rapidis littora cuncta Getis.
Huc adsint quicumq; animis constare videntur,
Quiq; gerunt nullo pectora quassa metu.
Nunc aut Threicys opus est succumbere telis,
Atq; trucidis domini turpe subire iugum:

Aut magna virtute feras cohibere cohortes,
 Atq; in degenerem precipitare fugam.
 Quare animus cuncti iuuenes estote paratis,
 Est superis cura, fidite, nostra salus.
 Cætera turba petat naves, lateantq; carinis
 Qui metuunt vitæ prima pericla sue.
 Hac fatus, paucis gressum stipatus amicis
 Vertit in oppositos quæ via facta Getas.
 Barbaries, inquit, gentis vesana profana
 Colluuiis, solus perniciofa bonis,
 Quæ rabies gelido vos huc transmisit ab Hemo?
 Non sunt hæc populo debita sceptrâ truci.
 Vos sterilem Pontum colite, & Rhodopeia saxa,
 Nec super Idalias quærite regna domos.
 Aut si vos tantus cæcos furor egit habendi,
 Accipite hoc gladio vindice primitias.
 Dixit, & aduersum subito se immisit in agmen,
 Antè mori statuens, quàm retulisse pedem.
 Cui quinquaginta selecti ex omnibus hærent:
 Fecerat ad puppes cætera turba fugam.
 Hos longa Turcæ intrepidus cinxere corona,
 Experti in paucis robora magna viris.
 Cumq; Guisardouius sensit socialibus armis
 Desitui prorsus se, pariterq; suos,
 Seq; loci ignarum, nec spem restare salutis,
 Nec reditum ad socias posse aperire rates:
 Ergo, inquit, superis visum ut moriamur; inultos
 Auferet hos mecum non tamen vna dies.
 Interea clypeo tectus, mucrone corusco
 Verberat obstantem fortis utrinq; globum.

IO. IAC. BOISSARTI

Nec minùs & socj, Stimulat quos emula virtus,
 Prosequi s; agiles vertit ad arma manus.
 Sternuntur densi raris instantibus hostes:
 Nec qui vel gressum susteret vllus erat.
 Ense Guias domus, clypei q; umbone Poloni
 Instat, & ingenti caede refundit humum.
 Nunc inimica petit vibratis ora sarisis,
 Nunc recipit scuto spicula missa graui.
 Agmine iam rupto medios euaserat hostes,
 Et poterat fusca nocte parare fugam:
 Sed clausos in tus socios dum conspexit, heu, heu,
 Fida ego vos nunquam pectora destituam,
 Sed moriemur, ait: cur vobis castra peremptis
 Illasus repetam, vulnera q; effugiam?
 Nemo mihi obijciat socj's fugisse relictis,
 Fortia q; ag gressos destituisse viros.
 Non ego plebeio seriem de sanguine duco,
 Degenerem vt clarus me sciat esse pater.
 Congrediar, pressis q; iterum sociabor: inulti
 Cur nos Elysijs exciperemur aquis?
 Vertitur, & gladio repetens densa agmina nudo,
 Per medios hostes illicò rumpit iter.
 Venerat ad socios: quorum vix vnus & alter
 Sat firma poterat tela mouere manu.
 Morte alij gelida strati per salsa iacebant
 Littora, vix alijs vita superstes erat.
 Quos simul vt vidit, sic imo pectore fatur:
 O' socj ex tota prima cohorte manus:
 Noctem hanc posteritas natus narrabit, erit q;
 Hac quoq; in exemplum qui pia facta trahat,
Fundite

Fundite magnanimum tandem per clara cruorens
 Vulnera in astrigeros non referenda polos.
 Interea horribili misceri cuncta tumultu
 Cernit, & instantem mortis adesse manum.
 Atq; per vndantes salso sudore lacertos
 Tertia iam vulnus missa sagitta dabat.
 Non procul inde ducem gemmato torque nitentem
 Vidit, & hæc nobis gloria, dixit, erit.
 Irruit, & clypei tectus munimine, primò
 Ingenti rapidum vulnere fundit equum.
 Inuaditq; equitem, stratum diuerberat ense,
 Et iuguli certa cuspide claustra tulit.
 Tum primùm cuncti plenas torsère pharetras,
 Inq; vnum belli concitat arma furor.
 Qui tercentenis transfossus pectora telis,
 Fortem animam supero restituit domino.
 Sic felix, pulchra iacuit dum morte, reuixit:
 Viuit, & eterna secula pace colit.
 Nos tamen, ab miseri, trahimus lugubria vite
 Tempora, quàm multis, heu, temerata malis?
 Vidi ego funestas genitricem aptare cupressos,
 Et patrijs tædas supposuisse rogis.
 Gallica per varias languescunt regna ruinas,
 Mœstaq; Burgundi fluctuat ora soli.
 Sed neq; me tantum hæc mouère incòmoda, quantū
 Is mihi qui retulit fata Guis/douij.
 Quamuis ille tamen viuat felicius: id me
 Non latet: at dolor hic me malus excruciat:
 Vt pote qui fuerit longè mihi carior omni
 Fratre: istam pietas signet amicitiam.

IO. IAC. BOISSARTI

*Sic riuat medijs vt semper fulgeat astris,
Ereptum fatis hunc mihi ne doleam.*

IO. IAC. BOIS-
SARTI BISVNTINI
EPISTOLARVM
LIBER II.

AD IOAN. PLEIERVM
Sälisburgensem I.V. Doctorem March.
Brandenburgici Consilia-
rium.

Michaeli Puhelinairo in Ratisbonensî
Senatu Consiliario.

EPISTOLA I.



*Vid tuus Hesperÿs faciat Boissartus
in oris*

*Poscebat nuper littera missa mihi.
Quid quaeso, Michael, facerem? con-
cessa tuemur*

*Littora quæ Venetum sub ditione tument.
Adriacis stupeo miracula plurima ripis,
Et quæ de medijs templa videntur aquis.*

Visa